

DISPUTATIO PHYSICA.⁵³

^{De}
**CAPITE HU-
MANO.**

1648 9

Quam
DEO DUCE

In illustri Academia VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Clariſſimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlingen/

Physicæ Professoris Publici Longe celeberrimi

Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui omni ho-
nore & obsequio ætatèm colendi

Publicè discutiendam proponit.


CASPARUS AEGLEBEN/ Halberstadiensis

Saxo.

In Auditorio Majori

Ad diem XXIII. Septembr.

Horis Antemeridianis



WITTEBERGÆ

Ex officina Typograph. MICHAELIS Wendt/

ANNO MDC XLVIII.

DISPUTATIO PHYSICA
DE CAPITIBUS

ONIUM

PROBLEMA

DISPUTATIO PHYSICA DE CAPITIBUS

ONIUM PROBLEMA

DISPUTATIO PHYSICA DE CAPITIBUS

ONIUM PROBLEMA

DISPUTATIO PHYSICA DE CAPITIBUS

ONIUM PROBLEMA

DISPUTATIO PHYSICA.

De CAPITE HUMANO.

Præloquium.

Omines mirari eunt altitudinem cœli,
gyros siderum, cacumina montium, & maris flu-
ctus. Nec carent admiratione hæc, sed tanta
sunt, ut miracula dici possint. At de Homine
quid dicendum? Interrogatus quidam, in mun-
danâ scènâ quid maximè putaret admirabile?
Respondit, hominem omnem admirationis captum excedere.
Cum cœlo enim, cum terrâ aut aquâ eum qui comparat, exclamat
meritô: Nihil in mundo magnum præter hominem! Magna
in homine mens est: magnum corpus: magna etiam minima
corporis particula. Non ex mole semper de rerum magnitudi-
ne, sed ex virtute ac fine judicandum. Speculabimur nunc
Caput humanum, in quo plura & majora miracula, quam in uni-
verso terrarum orbe. Magna capitis majestas est, per quod
jurabant veteres. Sola Regum capita coronantur, sola sæpè è
marmore aut auro exculpuntur. DEUS secundet inceptum no-
strum.

THESES

I. Corporis humani partes aliæ Similares, aliæ Dissimilares,
dicuntur. Similares, Ossa, Cartilagines, Fibræ, Venæ, Ar-
teriæ, Nervi, Membranæ, Tendines, Carnes, Ligamenta, Cu-
ticula, Cutis, Pinguedo, Pili & Ungues. Dissimilares, Ven-
tres, & Artus. Venter alius Supremus, seu Caput; alius Medius,
seu Thorax; alius Infimus, seu Abdomen. Artus sunt, Manus
& Pedes.

II. Caput igitur est pars dissimilans, rotunda, in supremo
loco constituta, cerebrum cum reliquis partibus animalibus
continens.

A 2

III. Dis-

III. Dissimilans pars est, quia è partibus diversarum naturalium & diversorum nominum constat. Non quælibet pars capitinis caput est, nec quælibet pars oculi oculus, nisi nasus.

IV. Rotundum est caput, partim ob capacitatem, ut cerebrum contineat rectius; partim, ob $\delta\upsilon\sigma\pi\alpha\vartheta\epsilon\alpha$ ut minus exponiatur externis injurijs. Non tamen rotunditas ea absoluta est, sed respectiva. Non enim imitatur spharam exactè rotundam, sed quadantenus oblongum, & ad latera eompressum est. Ut nempe cerebrum & cerebellum complectetur, spiritusque animales melius elaboraret ac distribueret.

V. Multum hic valet consuetudo, quæ ut omnia fermè, sic & capita mutat. Unde pro populorum & regionum varietate, variant penè capita. Adr. Spigelius ait: *Ratione regionum olim longa habebant capita Macrocephali propterea dicti, qui teste Hippocrate lib. de aere, aquis, & locis fasciis infantum capita nimium stringebant. Lata hodiè, ut audio, habent Moscovitæ, quod infantibus arte faciem explanent, ad omnia flecti in tenerâ etate aptissimam. Rotundam habent Antverpienses: magnâ ex parte Bruxellenses etiam puellæ, nisi quod acuminatus his sit mentum. Alta capita & acuminata habent Genuenses ferè, & Belge, à fasciis similes, quibus infantes nimium stringunt. Germani ferè breve caput obtinent, quod dorsi semper incunis incumbant.*

VI. In supremum locum relatum est caput, non ob oculos tantum, sed & propter aures, nares, aliaq; animalia organa. E sublimi enim loco patent optimè res subjectæ. Prædam illustraturæ aquilæ, ad altissima loca se conferunt. Nautæ è malo terræ prius conspicunt, quam vectores. Bellatores in speculis collectati machimamenta hostium speculantur. Vapores ascendentes melius percipimus, quam descendentes. Vox ex alto auditur remotius, quam è profundo. Neque Platonicorum ratio negligenda penitus. Ipsam, ajunt, facultatem intelligentem tanquam reginam tolli in altum decebat, ut irascibilis & concupiscibilis tanquam famulæ illi subjicerentur.

VII. Factum est, ut cerebrum cum reliquis partibus animalibus contineret. Cerebrum enim primaria capitinis pars est, sicut cor

De Hum.
Cer. Fab. L.
Lc. 8.

cor thoracis, epar abdominalis. Inserviunt isti oculi, aures, nar-
res, partesque aliae. Hic regia parva, in qua sedem posuit facul-
tas animalis, ut in thorace vitalis, in abdomine naturalis. Hinc
in corpus transmittuntur spiritus animales ad sensum motumq;
ut ex corde vitales, ex epate naturales.

VIII. Quæritur hic 1. Quænam magnitudo capitis legitima sit? R. Ea quæ proportionem habet cum membris cæteris. Non laudandum semper caput magnum, nec vituperandum omni modo parvum. Ubi corpus magnum & caput magnum, bonum est indicium. Indicat enim robur formaticis, & hominem sensibus vigentem, ingenio & judicio valentem, & ad quævis patranda paratum. Ubi corpus magnum & caput parvum, malum est indicium. Non enim spiritus pro tanto corpore sufficiunt: & qui ad sunt, aut incalescunt, ut suffocantur. Ubi corpus parvum & caput magnum, itidem malum est indicium. Neq; enim vitales spiritus sufficienter subministrantur, neq; animales recte elaborantur ac distribuuntur, sed dissipantur.

IX. Q. 2. An omnes sensus in capite sint? R. Putat Aristoteles, visum & auditum in capite esse: tactum autem & gustum in corde: olfactum habere se medio modo. Inquit: *Duo, id est, Lib. 2. de tangendi & gustandi sensus, ex corde aperte dependent: unus ex reliquis part. an. c. 18. tribus, id est, olfaciendi, medium tenet: duo, id est, audiendi & videndi, maximè in capite positi sunt, propter sensoriorum naturam.* Sed capiti adscribendum esse olfactum & gustum, cernunt oculati. Quin & tactus inde capit originem ac per nervos reliquis membris communicatur. Sed siolum curiosè & quasi cum voluptate refricare alterius ulceræ.

X. Q. 3. An omnes figuræ capitis æquæ naturales sint? R. Affirmare id videtur Real. Columbus, qui sexcenta millia capi-
tum se inspexisse & manibus attrectasse; sed figuram non natura-
lem haud invenisse scribit. Et quamvis caput aliud rotundum, aliud acuminatum sit: tamen figuræ illas non esse non naturales
appellandas, existimat. Sciendum ait, caput eam figuram à natu-
rà obtinere: ut sphæram utring, leviter compressam referat: ita ut in longum
aliquo pacto protuberet: ab hac autem formâ nonnulla evariare compe-
ries;

ries, ut modò uertice sint acutiore ac magis fæfigiato, modò fronte prominentiore, modò pressius contractâ, quod pari etiam ratione de occipitio dici potest. Lateribus item constat modò magis, modò minus compressis, quæ tamen formæ omnes naturales sunt, neq; adeò differunt, ut bas naturales, illas non naturales (*Galenus*) appellaverit. Sed naturale est, quod natura ut plurimum agit: naturale, quod naturæ actionibus commodissimum est. Fiat subsumtiō de figuris istis varijs. Non male Homerus in Theristæ vituperatione, acuminatum caput velut notam perversi ingenij posuit. Et rectè Philippus: *Non est firma his memoria, qui habent occiput nimis parvum, seu non eminens.*

XI. Dividitur vero caput in partes Externas & Internas. Externæ sunt, Facies & Calvaria. In facie frontem, nasum, oculos, genas, labia, os, mentum, & ex parte Aures, conspicimus. Ubi ita natura patens se gessit, ut ne exercitatissimus quidem artifex externam hanc figuram depingere possit rectè. Facies omnium movet oculos, omnium allicit animos. Hæc prima placet, hæc cæteris partibus omnibus præfertur, sæpè ipsis quoq; opibus ac honoribus palmam facit ambiguam.

L. I. c. 4.

XII. Quaritur i. Unde facierum diversitas? Rz. Est hoc unum mirabile in facie, ait Laurentius, quod cum in facie vultus nostro sint decem aut non multò plura membra, nullus duas in tot millibus hominum indiscretas effigies cernere liceat. Sed pauca persæpè in multitudinem ingentem abeunt. E paucis literis omnes dictiones, omnes orationes formantur. Nomen Dux monosyllabum, tribus tantum elementis constans, quot quæ so peperit voces? Verbum Doceo plures quam mille sexcentas quadraginta voces genuit. Quidni eadem fœcunditas faciei ossibus concedatur, si adfuerit peritus artifex? Et adeò natura ipsa sapientissima, quæ omnes superat artifices. Non est huic difficile, omnem illam facierum condere varietatem. Et manus hominum cum spectant Chiromantæ, non minorem naturæ observant industriam.

XIII. Q. 2. Cur facies frigus ferat in inori molestiâ, quam partes reliquæ? Rz. Tegitur abdomen, tegitur thorax, & ipsa quoq; calvaria. Sola facies detecta manet, nudaq; aéri frigido & gelidis

gelidis ventis exponitur. Lædit frigus brachia & pedes : magis abdomen : maximè thoracem : facies non admodum afficitur. Causa rei consuetudo est, cujus ubiq; vis maxima. Si quis offæ, aut juri, aut pulti, ait Platerus, quæ mensæ apponitur, digitum prius in ore salivâ madefactum intruderet, & in eâ ablueret, nulus deinceps de eâ qnicquam comedederet. Et tamen non abhorrent, quando cochleare non unum, sed multa à multis, ori sæpè indita, salivâ imbuta, toties in offam intrudunt & cum salivâ permiscent. Nonné quia consuetum hoc est facere, nemo offenditur? Quid turpius, quid fastidius caseo putri, quid magis horrendum; quam cum vermis ex putredine scatet? Tamen plerique eo suaviter epulantur & delectantur, cum nihil putridi alias, quodcumque tandem illud sit, comedat homo, sed ea fastidiat, & à contactu etiam abhorreat? Ita consuetudo altera quasi natura.

XIV. Q. 3. An faciei deformitas animum deformem arguat?
R. Quale corpus, talis anima. Ridiculum corpus simia habet, sed & animam ridiculam. Divinum corpus homini concessum, sed & divinita anima. Et inter homines qui pulchriores sunt, naturâ duce ad animæ pulchritudinem acquirendam trahuntur, ut nihil indignum egregiâ formâ committant. Quanquam nec deformitas corporis cum animi turpitudine conjuncta perpetuo sit, nec pulchritudini corporis formosus semper respondeat animus. Sæpè hospitium pulchrum hospes deformis dedecorat. Sæpè deformitas corporis pulchritudine mentis compensatur. Sed & sæpè dignissimo domicilio inclusus est animus, ubi vel pulchritudo mentis pulchritudini corporis respondet; vel cum turpitudine animi corporis deformitas certat. Socrates jubebat homines sæpè in speculo se contemplari, ut si essent deformes, eam corporis deformitatem pulchritudine animi compensarent: si formosi, ut nihil indignum egregiâ formâ committerent.

XV. Q. 4. An frons tegenda pilis? R. Præstantissima faciei pars frons est, quæ mærentis & gaudentis, speculantis & irascientis dat indicia. Frons refert fastum, severitatis ac elemosæ index. Cum irascimur, nubila sit; cum lætamur, exporrecta.



recta. Frons, ait Laurentius, à ferendo dicitur; quod animi indi-
Lib. II. c. I. cia præ se ferat: est enim tristitiae, hilaritatis, clementiae, pudoris, &
severitatis index, unde τὸ μέτωπον τείψα, frontem perfricuisse di-
cuntur, qui verecundiam abjecerunt, & impudentes sunt. Aperta
hæc sit, non operta & tecta pilis. Non ad capillatam partem ca-
pitis, sed ad glabram pertinet. Non natura invertenda, sed aut
juvanda, aut emendanda.

XVI. Q. 5. Cur frontis cutis moveatur liberè? R. Boves,
& equi, & alia gressilia, cutim totam movent, & quæ molestant
excutunt. Non est in potestate nostrâ, brachij aut pedis mo-
vere cutim, sed digitis removenda sunt, quæ creant molestias.
Frontem tamen movemus, & aliter irati, aliter læti, aliter tri-
stes, aliter cogitabundi. Nunc rugas facimus, nunc demimus
easdem, frontemq; dilatamus. Causa defertur ad membranam,
quæ in facie carnosa est, ac musculi rationem habet. In cani-
bus, equis, bovis, & alijs brutis, membrana ista ubique carno-
sa est. Hinc ubiq; movent spontè cutim, arctè cum membranâ
conjunctam.

XVII. Q. 6. Quid de naso notandum? R. Nasus etiam
non parvum faciei ornamenrum est. Dividitur in partem supe-
riorem & inferiorem. Illa ossea ac immobilis; hæc cartilaginea
& mobilis est. Inferior alis seu pinnis, & columnâ seu intersepto
constat. Pili ibi hærentes Vibrissæ dicuntur, quia cum evellun-
tur caput vibratur & concutitur. Plurimum naso tribuunt Phy-
siognomi. Longus ijs significat probum & audacem: crassus im-
pudentem: parvus tergiversantem: incurvus, impudentem: adun-
cus, magnanimum.

XVIII. Q. 7. Quid de oculis notandum? R. Hi velut
duo luminaria magna in mundo parvo sunt. A latere radicis na-
rium existunt. Constant parte dupli: una tegumentum, alte-
ra corpus ipsum est. Tegumentum Palpebras vocant, quia fre-
quenter movetur. Palpebrae in utroq; oculo duæ sunt. Supetior
& Inferior. Superior oculūm à parte superiore tegit; inferior
ab inferiore. Utriusq; extremitates cingunt pili, quos Cilia
appellant. Corpus ipsum in cavo suo inter duos angulos, majo-
rem &

rem & minorem, situm est. In medio oculi niger circulus conspicitur, qui pupilla est, & speculi instar imagines representat. Circulum hunc alius cingit, quem Iridem dicunt, quia varietate & suavitate colorum arcum refert. Galenus tres colores Iridis constituit: glaucum, nigrum, & medium inter hos. Solus homo fere inter animalia cætera diversi coloris oculos habet, non tantum ratione individuum, sed & nationum. Iridem sequitur Album oculi, quod totum illud est, quod extra pupillam & iridem coloris albi existit. Magni oculi significant Physiognomis, justum, prudentem, & amore plenum: parvi cholericum & iratum: nictantes, timidum: non conniventes, forte & audacem: prominentes, ferocem & ebriosum.

XIX. Q. 8. Quid de genis notandum? R. Genæ utrinq; oculis & nafo subsunt. Alia genarum superior, alia inferior est. Superior, mⁱxilla & mala superior: inferior, maxilla & mala inferior vocatur. In superiori magna pulchritudinis pars collatur. Eminet decenter, & rubescit primum affectis pudore, unde sedes pudoris statuitur. Rubicundæ malæ cum temperata albedine, nec nimis crassæ, calidum & humidum temperamentum indicant: albæ, pingues, & molles, frigidum & humidum: lividæ & minus carnosæ, frigidum & siccum: fuscæ tenues & macilentæ, calidum & siccum. Physiognomis genæ carnosæ notant inertes: graciles, invidos: pallidæ, amantes: fuscæ, fortes: albæ, timidos & luxuriosos.

XX. Q. 9. Quid de labijs notandum? R. Labia sunt oris & dentium opercula. Dividuntur in superius & inferius. Ad aeris fractionem conferunt, vociq; formandæ inserviunt. Rubra bona complexionem significant, livida malam. Crassa insipientem ostendunt, ajunt Physiognomi, tenuia magnanimum, exilia timidum: inferiora pendentia inertem, superiora prominentia injuriosum & mendaceum. Sed ut sapè bona datur navis, & malus gubernator: sic non raro bonus gubernator, & mala navis.

XXI. Q. 10. Quid de ore notandum? R. Inter labia os datur, quo cibum capimus, sputum ejicimus, & sermonem formamus. Hinc cavum est ut capere possit cibum, & continere: ut aerem etiam admittere & emittere queat. Physiognomis magis a

os audacem, bellicosum, & gulosum ostendit: patrum, effœminatum: dilatum nimis, vorace, impium, & crudele: c. 5. Intr. in Phys. exertum, dementem & jactatorem. Joan. ab Indagine ait: *Os patens audacem, obstreperum, impudicum, mendacem, impostorem, luxuriosum significat, neq; me unquam hic fecellit judicium. E contræ angustum, retentorem arcanorum, modestum, sobrium, pudicum timendum, & largum.*

XXII. Q. 11. Quid de mento notandum? R. Mentum imamaxillæ inferioris pars est, & in orbicularem figuram definit. Quibus rotundum valde est, hos muliebres esse putant: quibus parvum, immites & insidiosos: quibus prolixum, bonis moribus: quibus divisum, dolosos & mobiles: quibus acutum valde, iracundos & audaces. *De mento*, ait Joan. ab Indag. video convenire Philosophos: ut sicut nasus recurvus sive aduncus vel præacutus semper iram, audaciam, & tyrranidem notat: ita & mentum significare ajunt acutum.

XXIII. Q. 12. Quid de auribus notandum? R. Aures patulæ semper sunt, & figuram penè semicircularem habent, parte internâ antri in modum excavatae. Dividuntur in partem superiorem & inferiorem. Superior cartilaginea est: inferior carnæa, & lobus vocatur. Qui divinant exauribus, hæc habent. Magnæ aures magnæ fatuitatis, asinæ soliditatis & imprudentiæ, indicia sunt: parvæ luxuriosum & maligium indicant: longæ & angustæ invidum & pravum: rotundæ, indocilem: decenter formatae, optimorum morum.

XXIV. In Calvariâ dantur, synciput, occiput, tempora, vertex, & pili. Ubi non tanta pulchritudo, quanta in facie. Necessitas tamen ejus maxima, ob cerebrum, præstantissimam partem. Hinc firmissimis constantib; ut solidiore tecto muniantur nobilissima pars contra injurias externas. Non enim erat satis munitum è cute & carne paratum.

XXV. Q. 1. Unde hiatus in syncipite puerorum? R. Syncipitis anterior pars in infantibus tenerima est, hiatumq; dignit ingentem. Ibi systolen ac diastolen perspicimus, motus in cerebro argumentum. Aristoteles noravit, pueros non prius vocem dearticulare posse, quam universa calvaria in os concreverit. Est enim

enim superior illa capitis pars primum membranea, post cartilaginea, tandem ossea.

XXVI. Q. 2. Cur occiput durissimum sit? R. Optimè nobis consultum vult esse natura. Non facilè præcaveri poterant occipitis ictus, crasso ergò munimento ibi erat opus. Ergò si quan- c. 5. p. 39:
do in supinum, ait Columbus, quis laberetur, minus ex eo casu pate-
retur ossis hujus robore munitus. semper enim natura conservandi operis
sui studiosa, ubi majus periculum impendet, ibi quoq; majora struit præ-
sidia: cum itaq; ictus occipitis neg; propulsari possent, neg; oculus præ-
veri, ossis crassitudinem munimenti instar esse voluit. Ut videatis, quām
longè erret Arist. qui i: de An. Hist. infirmissimum tenuissimumq; ossum o-
mnium occiput esse dixit.

XXVII. Q. 3. Unde tempora sic dicta? R. Ad latera syn-
cipiis tempora sunt, inter oculos & aures, ubi caput compressum
est. Annos produnt, in viris canitie, in fœminis calvitie. Hinc
tempora dicta, quod ætatis tempus indicent. Vix frangi sine præ-
senti vitae periculo possunt. Sanavit tamen Langius puerum, qui
ex alto cecidit, & temporis os fregit. Et scribit Columbus, se
etiam eundem fortunæ & curationis exitum in Romano puerō es-
se assecutum.

XXVIII. Q. 4. Quid de vertice notandum? R. Centrum
calvariae vertex est, circa quem in gyrum vertuntur capilli. A ver-
tice ad frontem linea datur, quā in dextrum & sinistrum latus di-
rimuntur pilii. In viris nonnunquam gemina est, quos duarum
uxorum dominos futuros prædicti plebs credula.

XXIX. Q. 5. Quid de capillis notandum? R. Congeries
pilorum in capite coma dicitur. Hæc reverenda in senibus, ve-
neranda in sacerdotibus, decora in juvenibus comta in mulieri-
bus, jucunda in puellis. Pro causâ effidente non calorem tan-
tum habet, sed ipsam animam facultate formatrice præditam.
Materia est vilior & ignobilior sanguis. Unde in defluvio capil-
lorum sanguinem augere conducit. Et cum fæmellis subsistunt
menses, pilii in mento prodeunt.

XXX. Q. 6. Cur barba facta? R. Felix Platerus existimat Q. 6. p. 23.
usum barbæ neminem haec tenus rectè descripsisse. Esse autem illum
ut virilitatis indicium sit, ut cum homo nudus minimè incedat,

sicq; sexus dignosci nequeat, ex facie virilitatis pateant indicia.
Sed antiqua est opinio, non nova, & à Platero demum inventa.
Interrogatus Diogenes, cur tām magnam nutriret barbam? Respon-
dit, ut eam videns & tangens virum me esse meminerim. Et
Clemens Alexandrinus ait: *Barba est viri signum, per quod vir ap-
paret. In eo violando, quod virilis naturae signum est, contra legem
facere impium est.*

*Plut. in Vit.
Diag.*

XXXI. Q. 7. Unde Calvities? R. Tolle arboris comam, in-
grata erit. Tolle capitis pilos, peribit decor. Ovidius ait:

*Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde fratrex, & sine crine caput.*

Fit calvities ex defectu materiae, sicut defrondatio arborum
& depennatio volucrum. Defectus hic cum & in senio, & ante
senium fieri possit; plerumq; senes, interdum etiam viri ac juve-
nes calvescunt. Sunt etiam qui non calvescunt, licet senescant,
ob humidi abundantiam. Quemadmodum pinus, laurus, &
aliæ resinosæ arbores, folia non deponunt, ob copiam pinguioris
humidi.

XXXII. Intertiae capitis partes sunt, vel Continentes, vel
Contentæ: Continentes, pericranium, cranium, & dñæ menin-
ges: Contentæ, cerebrum, lingua, palatum, dentes, uvula, fau-
ces &c. Ita recondere, & sepimentis circumvallare, voluit natu-
ra opes suas. Sicut nuces, castaneas, & amygdalas, durioribus in-
cludere solet nucleis.

Lib. I. c. 13.

Lib. IO. c. 2.

XXXIII. Q. 1. Quid de pericranio notandum? R. Dicitur
pericranium, quod circa cranium; sicut περικράνιον, quod circa os,
sit. Solida membrana est, syncipitis, occipitis, & frontis ossa in-
vestiens. Fernelio duplex est: sed simplex Spigelio. Ita ille
Pericranium appellatur (membrana), quæ calvam extrinsecus ambit,
duplex illa quidem & firmissima. Ita hic: Nonnulli duplēm faciunt,
aliam dicentes esse, quæ membranæ carnosæ, aliam quæ crano necit: illam
vero pericranium dici, hanc periostium. Attendi enim omnibus
ossibus membrana foris, quæ ab externis protegat & tueatur. Mihi ta-
men simplex tantum semper visa est, et si in ipsâ dissectione geminam
mentitur naturam.

XXXIV. Q. 2. Quid de crano notandum? R. Munit cra-
nium

nium ac continet cerebrum. Constat ex multis ossibus, osse frontis, ossibus duobus syncipitis, duobus temporum, uno occipitis, sphenoide & ethmoide. Ossa hæc cōjuncta sunt suturis, ne uno ictu tota calvaria frangatur, & ne retentis vaporibus ac recrēmētis perpetuis doloribus caput esset obnoxium. Historiam habet Columbus, de juvēne mortuo ob dolorem capitī, in quo nullæ conspicuæ fuēre suturæ. Patavij, inquit, superioribus annis juvēnem quendam propinquorum voluntate ad me delatum, dum in magnâ amicorum coronā secui, qui diutino capitis dolore vexatus nullus remedijs sanari potuerat: in cuius calvaria vix suturārum vestigia apparebant, adeo erant compacta, ut in unum comta capitī ossa viderentur. Quam obrem pro comperto omnes, qui tunc aderant, habuerunt, non aliudē ingentem ac ferē continuum capitis dolorem profectū esse, quād ex arctissimā illā ossium compositione, ex qua nullus exitus patebat fumidis illis crassisq; vaporibus, qui & perpetui doloris causa fuerant, & tandem mortem intulerant.

XXXV. Q. 3. Quid de meningib⁹ notandum? R. Immediatē subcrānio datur membrana dura accrassa, cerebrum tegens, illudq; à fronte ad cerebellū secundū longitudinem dividens: cerebellū etiam à cerebro secundū latitudinem discernens. Sustentat præterea venas, quæ cerebrū nutriunt, & quārum vestigia in syncipitis ossibus impressa conspiciuntur. Sequitur hinc membrana tenuis, immediate cingens ac continens cerebrum, quæ & ipsa plurimas vasorum propagines à crassā accipit ac cerebro dispensat. Prior mater dura vocatur; posterior pia: vel quia matrum more cerebri incolumenti prospiciunt, vel quia reliquarum membranarum matres esse quondam fuēre creditæ.

XXXVI. Q. 4. Quānam cerebri substantia sit? R. Cerebrum sapientiæ arx: cogitationum, judicij, ac ratiocinationis domicilium: ipsorumq; internorum sensuum habitaculum est. Substantiam habet peculiarem prorsus, è seminis parte maximè subtili ac spirituosa in primā foetus formatione factam. Quam admirari potius, quam intimius perscrutari, licet. Non abs re communis Germaniæ Præceptor Philippus ait: Quæ est substantia cerebri? ubi? quomodo fiunt hemiranda actiones in hac qualidā massā? Hæc fatigantur non penitus sciri, & agnoscamus, Deum esse naturæ nostræ conditorem, & actiones cerebri proprias maximè testari, hunc mundum non

exitisse casu, & Deum conditorem esse mentem sapientem, beneficam, justam, & veracem. Quia impossibile est, discrimen honestorum & turpium casu, aut à naturā bruta ortum esse. Etsi autem non penitus nobis cerebri substantia nota est, tamen hoc sciamus, oriri ipsam à subtilissimā parte seminis, & plenā spirituum, quae in formatione fetus in illā arcem summam quasi exæstuat, cum epar, & cor, & venule inchoantur.

XXXVII. Q. 5. Quænam cerebri partes sint? R. Intres partes dividitur: cerebrum in specie dictum, cerebellum, & spinalis medullam. Cerebrum partem anterioren notat, quæ triplo major cerebello. Habet ventriculos quatuor: duos superiores, & duos inferiores. Cerebellum est posterior pars, cerebro velut appendix adhærens, durioris ac crassioris substantiæ. Spinalis medulla velut oblongatum cerebrū est, & per occipitij foramen egreditur, ac in totam vertebrarum seriem usq; ad coccygis locum progrederit.

XXXVIII. Q. 6. An cerebrum frigidum? R. Secundum propriam suam constitutionem frigidum est. Multum enim aquæ substantiæ continet, nec igne liquatur. Ob sanguinem verò influentem & spiritus vitales calidum est. Unde calefactum potius dicendum, quam calidum. Sed & hoc ipso adventitio calore calori cordis cedit. Nativo enim cerebri temperamento spiritus isti fervidi temperantur. Amant temperiem sensum & mentis operationes, nimio verò calore impediuntur & perturbantur. Vino cum incaluit cerebrum, errant sensus, labascit motus, & sani insaniunt.

XXXIX. Q. 7. Quid de lingua notandum? R. Lingua è basiliatore in acutum mucronem sensim desinit. Carnem habet peculiarem, mollem, raram, ac laxam. Plurimis constat venis, arterijs, nervis, membranis & musculis. Volubilis est, sed ligamento ac fræno constricta. Facta propter gustum, & sermonem. Hinc tanta linguae dignitas, quanta sermonis nobilitas. Tolle linguam, cessabit sermo, dissolvetur societas, peribit religio. Et ut sua cuiq; facies, sic suus cuiq; sermo. Ut non sit necesse, stultâ aliorum imitatione, disponere orationem. Ipsa natura modulatur sermonem, quam impedire, res periculi plena est.

Prestantissimo atq; Eximio
Dn. RESPONDENTI, de Capite disputanti, Amico dilectissimo.

Cui natura dedit supremam incorpore sedem,
Id merito Physics gloria prima cluet.
Scilicet hoc caput est sine quo nil mens capit unquam.
Et medicæ verum nec caput artis erit.
Quod catè nunc recolis, caput & conamine dextro
scrutaris rectè, discutis egregie.
Gratulor hos ausus, feliciter omnia cedant,
Perpetuoq; tuum floreat inde caput.

Optimorum Parentum filio optimo
votivus applaudit
JOHANNES SCHARFIUS D. P. P.

Ad
Doctissimum Dn. Respondentem, Philosophiae
& Medicinæ Studiosum solertiſſimum.

Humani capitis non est reverentia parva:
Alma parens rerum nil magè condecorat.
Qui partes capitis tanto conamine pergis
Rimari, fies credo caput patriæ.

JOHANNES SPERIGONI P. P.

Sic est; dimidium medicæ, qui seminarerum
Et causas didicit gnaviter, artis habet.
Hoc cum tu pergas, quod dissertatio præsens
Monstrat, spes omnes certa fovere potest
Anniste medicâ clarum labentibus arte
Laturum Patri gaudia mille tuo.

JACOBUS Niedeke Mülling;
Saxo, LL. Cultor:


Cur invidendum postibus, & novo
Sublime ritu, quæso, palatum
Regum timendorum frequenter
Laudibus egregijs celebras?
Cur in stuporem te rapit intimum,
Tangens Colossus sidera vertice,
Et quod peritus fabricavit
Dædalus artifici labore?
Non tam tuentum lumina detinent
Hæc cuncta, quam si te penitissime
Et prærogativem eminventem,
O homo, perspicias subinde.
Quam pulchra nostri structio corporis!
Quis posset illud fingere tam fabrè
Lysippus, aut solers Apelles
Pingere tam numeris solutum?
Profectò res hic Artificem probat.
Quis verò pulchro corpore pulchrior.
Aure beatæ portio, quis
Te Dominam neget esse rerum?
Hujusmodi sed desino plunum,
Mi dulcis Alslebi, & potius tibi
Jam de cerebro disputanti
Gratulor ex animo favente.
Illustriores quotidiè impetus
Fac auspiceris, propitio D E O,
Pergasq; sic fundum cerebri
Rore scientifico rigare.
Nam sic paternos cum repetes lares
Intaminatis clarus honoribus,
Palmamq; dignam præmiumq;
Eximio capies labore.

JOHANNES Gütterbock Hadmersl: Saxo.



VS 17





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO PHYSICA.⁵³

De
CAPITE HU-
MANO.

1648 A

Quam

DEO DUCE

In illustri Academia VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Clariſſimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlingen/

Physicæ Professoris Publici Longe celeberrimi

Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui omni ho-
nore & obsequio ætatē colendi

Publicè discutiendam proponit.

CASPARUS ALSEBEN/ Halberstadiensis

Saxo.

In Auditorio Majori

Ad diem XXIII. Septembr.

Horis Antemeridianis

WITTEBERGÆ

Ex officina Typograph. MICHAELIS Wendt/

ANNO MDC XLVIII.

